



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1770**

**VD18 90118510**

§. 126. De concupiscentia post Baptismum remanente.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

quis causis adjiciendam censebat, cum <sup>Sæcul. XVI.</sup> id Christi Domini verba significant, <sup>A.C. 1546.</sup> qui crediderit, & baptizatus fuerit, hic salvus erit. Huic etiam Seripandus suffragatus est, multumque interioris fidei efficaciam exaggerabat, illamque exterioris ablutionis virtute superiorem esse ajebat: Verum plures huic opinioni adversabantur, ac ne quidem in Decreto mentionem de fide fieri petebant, cum hæc in parvulis ad delendum originale peccatum haud necessaria esset. Postea hæc Baptismi vis ad tollendam totam peccati maculam adversus recentes hæreticos innumeris ferme sacrae Scripturae, Conciliorum, sanctorumque Patrum testimoniis fuit comprobata.

## §. CXXVI.

*De concupiscentia post Baptismum remanente.*

Cum autem Lutheri Sectatores vehementem hanc pronitatem ad malum, quæ concupiscentia appellatur, nihil aliud, quam ipsum peccatum originale esse contenderent, illudque in parvulis adhuc remanere affirmarent, eo quod ipsa etiam concupiscentia post Baptismum adhuc remaneat, hinc Synodi Patres perversam hanc doctrinam impugnare, totis viribus adlaborabant, ac

Pp 2

præ-

Sæcul. XVI. præter alia Verbi divini testimonia, e  
A.C. 1546. quibus nullam post Baptismum maculam superesse deducitur, duos textus omnino certos produxerunt, per quos concupiscentiam non esse peccatum evincitur. Primus erat desumptus ex

*Rom. 6. v. 6.* D. Paulo, ubi dicit: *Veterem hominem crucifigi cum Christo, ut destruat corpus peccati, & ne ultra serviamus peccato: ac proinde nos hortatur, ne peccatum in nostro mortali corpore regnet, neque ejus concupiscentiis serviamus. Igitur, arguebat Turritanus, si remanet concupiscentia peccato destructo, quomodo dici potest, illam idem esse ac peccatum?* Postea Antistes Syracusanus alium proferebat textum e S. Jacobi Epistola desumptum, ubi describens Apostolus generationem peccati, unusquisque, *inquit, tentatur a concupiscentia sua abstractus, & illectus, deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum, inde ille inferebat, concupiscentiam ne tum quidem, cum tentat, & allicit, peccatum esse, sed postea illud procreari per nostrum consensum.*

Plures alii Episcopi ac Theologi, vario quidem modo, quid de hac re sentirent, edicebant, tandem vero conclusum, quod D. Paulus, dum concupiscentiam appellat peccatum, id per figuram dicat, quemadmodum ipsum Chri-

Christum nominat peccatum, & Eucharistiam dicit esse panem. Sæcul. XVI  
A.C. 1546.

§. CXXVII.

*Antonii Marinari Carmelitæ sententia de concupiscentia.*

Equidem Antonius Marinarius Carmelita circa hoc argumentum suam edixit sententiam, quæ tamen Patribus adeo non probabatur, ut etiam a Protestantium doctrina haud multum abluens crederetur. Hic igitur cum ceteris affirmabat, quod peccatum Baptismo eluatur, censebat tamen, quod concupiscentia in iis, qui nondum sacro fonte tincti sunt, esset peccatum. Post hæc ita prosequabatur: *D. Augustinus jam senex de hoc argumento ad Bonifacium scribens clare enuntiavit, concupiscentiam non esse peccatum, sed ejus causam & effectum, nec minus idem verbis non minus apertis contra Julianum scripsit, eam & esse peccatum & causam effectumque peccati, neque tamen in retractationum libris contrariarum istarum propositionum vel meminit, quod argumento esse debeat, Patrem illum arbitratum, quod ad fidem quæstio hæc non pertineat, atque in utramque partem de ea probabiliter posset disputari, & controversia prope verbalis sit.* Postea addidit: *Aliud est quæerere, an res aliqua ex se sit peccatum,*

